

Etiam, ut juvenes, uti & senes privarentur necessariâ ad salutem instructione, imo sepe morerentur absque assistentiâ, & solatio Sacerdotum ex eorundem insufficientiâ; nec totius communis Confessiones præcipuis Festis excipi possent: quæ tandem in pejus ruerent, nisi Supplices resolversent desuper ad hunc prædictum Senatam querelas deferre; quapropter se ad eundem convertent, humillime petentes Citatoriales coram Commissariis ad onus Pastoris, & aliorum Ecclesiasticorum Decimatorum, ut, coram iisdem partibus summarie auditis, indilate & per provisionem designetur numerus idoneorum Vice-Pastorum, qui possent præstare consueta & necessaria munia Pastoralia una cum Pastore, juxta sanctum Tridentinum Concilium, & Statuta Episcopatus Bulsoducensis, cui subsunt.

Quâ Supplicâ visâ & examinâtâ in præfato Senatu, Supplicantibus concessâ & expedita fuerant prædictæ Citatoriales, vi quarum Apparitor Thomæ citaverat R. D. Episcopum Antuerpiensem, uti & Apparitor Jacobus Hullet etiam citaverat D. Abbatissam & Conventuales Monasterii de Roosendaël, denique Petrus Herman Prætor in Gele acceptâ auctorizatione citaverat D. Melchiorum Vanden Weyer Pastorem, & D. Decanum & Capitulares Ecclesiæ Collegiatæ S. Dymphnæ ibidem, ad comparandum 26. præfati mensis Novembris, coram D. Vanden Dicke Consiliario, & Secretario Loyens, tamquam Commissariis inter partes deputatis, ad audiendam conclusionem a Supplicantibus prædictis, & dictarum Citatoriarum impetrantibus tunc proponendam: quando dicti Impetrantes comparuerunt per Procuratorem suam Charliers, & Citati per suos respective Procuratores Goubat, Maiolet, & Vanden Neuckere. Dicebatque Impetrantium Procurator in verbali tunc habito, ultra id quod in præfatis litteris allegabatur, adhuc considerandum esse, præfati municipii Gelsenis Parochiam extendi ad duo milliaria cum dimidio in diametro; esseque varias domos ex opposito etiam tantundem distitas, quarum incolæ sæpe eodem tempore decumberent, & spiritali egerent animæ medicinâ: ideoque impossibile esse eisdem infirmis Sacramenta ministrari, eos visitari, solari, & adversus diaboli ten-

tationes adjuvari, nisi per competentem numerum Ecclesiasticorum: præfatum vero Pastorem super eo adomnium agnovisse se in iis providere non posse, absque certo Vice-Pastorum numero: cum uno impedito in Officio Ecclesiastico, altero in ministrandis infirmis, adhuc alii necessarii sint ad invadendos ægros, & obunda reliqua onera Pastoralia.

Hinc concludebant Impetrantes, ut singuli Citatorum in solidum, vel ad minus omnes conjunctim condemnarentur, ut Supplicantibus provideant, aut provideri sinant, de tribus ut minus Capellanis seu Vice-Pastoribus, aut saltem eo Capellanorum numero, qui judicio hujus Senatus sufficiant, & capaces sint una cum Pastore ordinario Parochiæ servire, & functionibus Pastoralibus satisfacere, tam in excipiendis Confessionibus, Catechizationibus, administrandis Sacramentis, quam visitandis, assistendis, & consolandis infirmis: idque cum mandato, ut per Citatos uniuersique Capellanorum annue assignetur & detur necessaria ipsorum competentia, ad ratam recentiorum florenorum annue, vel aliam quamcumque, vel majorem summam (ultra accidentia) prout Senatus pro causâ circumstantis arbitrabitur; & in casu ulterioris litis saltem per provisionem, eo quod causa dilationem haud patiatur ob periculum in mora; permittentes interim ipsis Citatis, ut viâ amabili, vel juris, inter se dispiciant, & conveniant, quo ordine & pro qua parte quilibet ipsorum in dictam competentiam concurrere debeat: concludendo cum expensis; super omnibus petentes jus dici, sive conjunctum, sive divisum, prout Senatus secundum justitiam æquum judicabit. Quibus prædicti duo primi Citati, nimirum Episcopus Antuerpiensis, & Abbatissa de Roosendaël, & quartus, scilicet Capitulum S. Dymphnæ, respondentes, ita concluderant, ut Impetrantes, in quantum contra ipsos requisierant & concluderant in hac sua requisitione & conclusione, saltem in modo & forma declararentur non fundati & non receptibiles cum expensis; eo quod jam a quadraginta annis communitas Gelsenis parum sit immutata vel aucta, quæ nunquam fuerit conquesta de defectu Officiorum divinorum apud